



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. I. in quo differunt religiosi fugitivis, apostatis, & ejectis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

§. V.

Alia questiones circa translationem Religiosorum ab uno ordine, ad alium resolvuntur.

Qui legitime ab uno ordine ad alium transferatur, ut sic Prælati illius, debet de novo in hoc professione emittere, & finito suæ Prælatuæ tempore, manebit ordinis illius, ad quem translatus est, religiosus; per translationem enim talem perdit omnia jura prioris ordinis, aut monasterii: neque obligatur ad vota specialia in priori religione emissæ, aut ad abstinentias & rigorem illius regulæ.

Bona verò temporalia licite transeuntis (si utraque religio bonorum talium in communi capax est) quæ priori monasterio v. g. acquisita jam fuerunt, ratione hujus sui pro illo tempore professi, manent quidem, quoad proprietatem, & usum fructum priori huic monasterio; quæ verò post transitum talem licitum, & validam in altero monasterio vel ordine professionem, ratione taliter professi acquiruntur, acquiruntur posteriori monasterio, vel ordini; professus enim suo monasterio acquirunt, in quo vivit, quoad se & sua, Deo dedicatus. Si verò à monasterio bonorum in communi capaci, ad ordinem incapacem transeat, aut ab ordine incapaci ad capacem, tum bona absolute acquisita, aut acquirenda, vel monasterio priori capaci, aut in casu incapacitatis, hæredibus ab intestato v. g. manent.

SECTIO V.

De Religiosis fugitivis, apostatis, & ejectis.

§. I.

In quo differunt religiosi fugitivi, apostata, & ejecti; & an revocentur illos querere, & revocare?

Religiosi fugitivi proprie dicuntur, qui à monasterio, vel ordine recedunt, sine Superiorum licentia, sine habitu retineant, sive exant, ut sint extra potestatem, & obedientiam, & ad tempus libere vagentur, cum tamen tamen ad religionem, vel monasterium redeundi, Apostata verò, proprie, & rigide loquendo, sunt, quibus ordine recedunt, animo excutiendi iugiter religiosum in perpetuum, & omnino deserendi institutum. Ejecti denique religiosi dicuntur illi, qui ob culpam suam ex religione exire compelluntur, & quamvis *Trid. sess. 25. cap. 4. De regulis* inter fugitivos etiam enumeret, qui sub prætextu ad suos mediatos Superiores accedendi sine suorum immutatione Superiorum licentia, à suis conventibus recedunt, nisi ab illis vocati fuerint, & puniendus etiam ab ordinariis locorum dicatur, tanquam desertor sui inferioris, intelligi tamen debet hoc decretum, nisi iniquè à suis immediatis Superioribus tractentur, & aliud remedium ad Superiores suos mediatos non habeant.

Circa hos fugitivos, apostatas, & ejectos in singulos annos à suis Prælati

regularibus requirendos, revocandos, & cogendos, ut ad monasterium redeant, multa statuuntur in c. ult. h. t. quia tamen hæc constitutio contraria consuetudine ferè abrogata est & ordine religiosi circa ejuscemodi fugitivos, apostatas, & ejectos suarum potius regularium, & constitutionum, ac statutorum tenorem observant, nulla videtur illius explicandæ ulterior necessitas.

§. II.

An religio habeat potestatem ejiciendi subditos regulares, & ob quas causas, & an religiosus ejectus nihilominus obligetur ad vota religionis, aliasque observationes regulares?

Quod possint ordines religiosi, suos subditos, etiam professos, expellere à religione, ex causa justa, & gravi, praxis religiosorum ordinum docet, & multa Summorum Pontificum privilegia religionibus hoc concedentia probant. Retecandæ enim carnes putridas esse, ut ne inficiantur bonæ, ratio naturalis etiam docet. Convenit autem hæc ejiciendi potestas ordinum Superioribus; cum consensu sæpe majoris partis capituli, juxta propria tamen variorum ordinum statuta, & privilegia. Causæ verò justæ talis ejjectionis faciendæ, sunt de jure comuni, primò si notoriè sit in gravi crimine incorrigibilis professus. Secundò, si committat crimen infame, propter quod sine ordinis detrimento servari in ordine non potest. Tertio, si reticuit impedimentum, vel defectum valde gravem in receptione ad ordinem. Farentur tamen AA. in ejjectione talium professorum

valde cautos debere esse religiosos ordines, neque facile ad eam deveniendum, nisi post alias legitimas, etiam incarcerationis pœnas, accedat incorrigibilitas, aut valde grave religionis præjudicium: & hinc sacra Congregatio Concilii statuit, ut imposterum ex religionibus nullus ejiciatur professus, nisi sit verè incorrigibilis; qualis non censetur, nisi unius etiam anni spatio in jejunio, & pœnitentiâ probeur in carceribus.

Ejectus tamen per justam sententiam definitivam in perpetuum, ad vota quidem substantialia religionis adhuc obligatur, cum maneat etiam post ejjectionem verus religiosus, & Prælato regulari non sit data licentia à votis regularis professionis eum solvendi, ad alias tamen regulæ observationes, jejunia v. g. abstinentiâ à carnibus, vigilia ordinis, &c. non obligatur amplius (nisi denuò ad ordinem recipiatur) cum hæc observantiæ non comitentur professionem trium substantialium votorum, sed regularem tantum statum, sub regula ordinis constitutum, à qua per ejjectionem liberatur, non quidem quasi ex delicto suo commodum sentiret, sed quia principali cadente, statu scilicet regulari, cadit etiam accessorium, regulæ scilicet observatio, & taliter ejecto nimia difficultas oriretur, sine ullo ab ordine solatio, &c.

§* * §

Ecce 3

§. III.